



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

De modis quærendæ confusionis. Cap. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

## LIBER SECVNDVS.

## De amandâ &amp; quærendâ, ex Dei amore, nostri Confusionis.

## CAPVT PRIMVM.

## De modis quærendæ nostri confusionis.



Nter alia heroicę humilitatis facinora, non postremum est, efficaciam studium quærendæ ex Dei amore nostræ coram aliis confusionis, & qui inde sequi solet apud imperitos rerum, & ignaros thesaurorum cælestium, nostri contemptus. Quod, vt non tantum Religiosæ perfectioni additis in Regularium cœnobis, sed in sæculari quoque statu, vitam spiritualem colentibus commendem, accuratam hac de re tractationem inuituo, eo consilio, vt hac in re plurimum excellere conentur, tanquam in re valdè Deo acceptâ, & magno opere ad eximium in virtutibus progressum, conducente, & à magnis Sanctis verbis factisque commendatâ, si debito modo, ante finem huius Opusculi præscribendo fiat. Verùm ante omnia explicandum est, quæ sint illa, per quæ publicam nostri confusionem, & honesti pudoris materiam, quærere, ac ardentè debeamus præferre.

Ego sanè existimo, confusionis honestæ materiam ad Quatuor capita posse reduci: *Primum* est, publica nostrorum defectuum manifestatio, siue id per nos siue per alios, Maiorum permissione contingat. *Secundum*, ad humilia & vilia, mundi iudicio, officia refertur, qualia sunt, domum vel areas verrere multis spectantibus, res fordidas & inquinatas abluere, mendicare, seu, vt loquitur S. Ch. gr. 25. (id appellas viam & neruum humilitatis) eleemosynas quærere, cum pauperibus in loco cunctis petuio, cibum sumere, emptorem, res in foro emptas humerisque iniectas baiulando, comitari: & his similia. seruorum vel mancipiorum propria exequi. *Tertium*, ad attritarum vel squallidarum, vel cum plurimis confusatarum centonibus, vestium gestationem, spectat. *Quartum* denique versatur circa constans silentium, & fugâ excusationis & nostri defensionis ac purgationis (dum ea non exigitur à nobis iniquè delatis) præsertim apud nostros Maiores, vel similes, quorum nobis fauores, & gratiâ necessariam putamus, & quandoque à proprij amoris innato impulsu nos superari dolemus.

## CAPVT SECVNDVM.

## De utilitate Confusionum pro Deo susceprarum.

Dico itaque valdè vile, & penè necessarium ad spiritualem profectum esse, plurimum

Deo acceptum, ac omnium Religiosorum spiritui conforme, si vitæ spiritualis, præsertim in Religionibus, sectatores, tum tirones tum in statu proficientium constituti, & qui necdum altos virtutum ac meritorum gradus sunt assecuti. his quatuor modis, publicam sui confusionem, & ipsi quantum licet quærant, & oblatam ab aliis animo generoso ferant alacriter, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui (vt ait Apostolus) sustinuit crucem confusionis contempit. Ad Hebr. 12. 2.

Ad quod persuadendum maiora excitamenta non habeo, quàm ipsius Dei, tales confusiones amantis, & insignium remuneratione donorum commendantis, iudicium, ac exempla omnis generis Sanctorum.

Cum enim Deo tantoperè sit accepta religiosa humilitas, vt libro 1. ostendi, quippe quæ est, vt ait S. Cyprianus, *fundamentum sanctitatis*; tæ Chr; & quidem non qualecunque, sed, vt existimat Natiu. 5. apud Palladium Abbas Ioanthes, *fundamentum primum omnium virtutum*; & vt loquitur S. Chrysostomus, *Mater, & radix, & alitrix, & sulcimentum, & vinculum bonorum*; & vt scribit S. Basilii, *centrix omnium virtutum, eamq; sequitur, bonorum veluti quoddam examen*; quin imò non tantum virtutes in animam, sed, vt Christus dixit S. Brigittæ, *ipsum Deum in cor intro-* 1. 6. Red. cap. 116. 3. ep. 87. ad Ogetiū.

ducit. Ex alterâ parte cum vera & solida humilitas ex humiliationibus nascatur: liquidem, vt docet S. Bernardus, *humiliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam*: necessariò videntur accersenda nobis, confusionis opera, quia mæxima in eis nostri humiliatio versatur; & sic per ea culmen humilitatis attingitur, & cum eo coniuncta virtutum aliarum præsidia & ipse perfectionis eximie apex. Verè enim S. Cyprianus scriptum reliquit: *De humilitate ad summa crescimus, didicimus, vnde placeamus: Deus veritas est, quam obrem & diligit veraces, & odio habet mendaces: Superbi verò mendaces sunt & fluiti; qui cum nihil sint, se aliquid esse putant. & ab hominibus magni videri volunt, qui digni odio habentur. At humiles sunt veraces, qui sentiunt se nihil esse, qui se ipsos despiciunt, & ab aliis despici cupiunt: vnde & equum est, vt à Domino diligantur. Et quidem quos Dominus diligit, extollit: & eius diligere, esse hominem & distare est.* Dicit autem eos citius, qui confusionis studio propter Deum, pro stultis haberi expectant. Vidit olim B. Maria Magdalena de Pazzis, admirandæ sanctimonie Virgo Carmelitana calceata, à pueritâ suâ Societatis institutione in vitâ spirituali exulta; vsque ad mortem, ante

G g g annos